

Ye  
5257

*Q. D. B. V.*  
OMNES

PATRONOS, FAUTORES,  
AMICOS

Gymnasii Zittaviensis  
ad

ORATIONEM VALEDICTORIAM,

qua  
de

TRIPLICI

LIPSIENSIVM

SINGULARI STUDIO

LITTERATURÆ, MER-  
CATORÆ, DECORI,

Juvenis bonæ indolis & magnæ Expectationis

CHRISTIANUS Gottlieb Föcher/  
LIPSIENSIS,

in

ACADEMIAM

è

GYMNASIO

B. c. D. abiturus,

An. MDCCXII. d. XXXI. Mart: hor. IIX.

differere constituit,  
benignè audiendam

per eum amorem atq; studium,

quo

LIPSIAM ZITAVIA

complectitur

officiose & per amanter

invitat

M. Godofredus Hoffmannus,  
Gymn. Zittav. Rector.

ZITAVIAE, Typis Michaëlis Hartmanni.





IPSIAM qui laudare vult, facile suscipit negotium, cùm tot & tanta Providentiae singularis circa hanc urbem extens argumenta, ut ea qui vel nudè recenset, panegyricum quasi conficiat. Quemadmodum enim, censente Romanorum illo Philosopho, Cicerone, nemo vir magnus sine aliquo afflato divino unquam fuit; ita ut vici & oppidula in amplissimas exerecant civitates, non artis nec industriae humanae res est, sed Sapientiae & Bonitatis divinae provida cura efficit. Atque huic soli LIPSIAM suam debet Dignitatem & Magnificentiam. Summum enim Numen, cuius inscrutabili consilio omnia geruntur, sic voluit, ut haec urbs inter multas suum efferat caput, utque pretiosum totius Saxonie sit ~~nequissimum~~, & universae Germaniae amor & delicium. Hinc Gabriel Bucelinus non à vero deflexit, cum in Germania Topochrono-stemmate-Graphicā sua p. 64. dicit: *LIPSIAM talis est, quam pro exemplari sibi & speculo, etiam procul posita & proponant Civitates, ut omnibus absolutione perfecte evadant.* Et quemadmodum celeberrimae hujus urbis florem & incrementa singulariter semper curavit supremus rerum omnium Arbitrus ac Moderator, sic idem omni tempore dedit Viros, qui in Rerum Lipsiensium Historia condenda inque laudibus Civitatis omnium prædicatione dignæ diffundendis strenue laborarunt. Liceat hic modo, & quidem in gratiam Juventutis (Viris enim singula haec abunde nota sunt,) eos nominare Autores, qui jam ad manus sunt. Commandantur nimirum (1) Davidis Peiferi Lipsia, seu Originum Lipsiensium Libri IV. cum quibusdam additamentis, curante D. Adamo Rechenbergio, Theologo illo apud Lipsiensis longè meritissimo, qui sub finem Johannis Friderichi Franci P. P. Panegyricum secularem de Origine & incrementis Academiae Lipsiensis adjecit: Martisburgi an. 1689. (2) Tobias Heydenreichii Lipsiensis, J. U. D. Chronicon Lipsiense s. Lipsijsche Chronick, Lips. 1635. (3) L. Zachariae Schneideri P. P. Chronicon Lipsiense s. Gemeine Beschreibung der Stadt Leipzig/ Lips. 1655. (4) Der Stadt Leipzig Ordnung/ wie auch Privilegia und Statuta, Lips. an. 1701. (5) Arcana Bibliothecæ Thomanæ Lipsiensis sacra retecta à Dn. Heinr. PIPPINGIO, tunc temporis in Æde Thomana Verbi Divini Ministro, nunc S. S. Theol. Doctore celeberrimo, & in Aula Saxonica regio-Electorali Antistite Sacrorum Primario & Consiliario Ecclesiastico. Lips. an. 1703. (6) Dissertatio, qua Bibliothecam Magnifici amplissimique Senatus Lipsiensis ex Decreto Ejus Bona Menti jam dedicandam atque apperendam fore indixit Dn. Gottfredus Christianus GOETZIUS, Praetor & Bibliothecarius Lipsiensium gravissimus. Lips. an. 1711. (7) Academia Lipsiensis rediviva sive Monumenta Jubilæi secularia &c. accurante Dn. DICELO, P. P. extraord. Lips. an. 1709. (8) M. Salomonis Stepheni Inscriptiones Lipsienses s. Verzeichniß allerhand denkwürdiger Überschriften/ Grab- und Gedächtniss-Mahle in Leipzig/ &c. Lips. an. 1686. (9) De insignibus Lipsiæ Dissertatio Joh. Jac. Vogelii, Lips. an. 1683. & alii.

Virorum istorum vestigiis institutus CHRISTIANUS Gottlieb  
Söcher/ Lipsiensis, Valedictoriæ sue argumentum esse voluit *triplex LIPSIENSIMUM singulare Studium, LITTERATURÆ nimirum, MERCATURÆ & DECORI.* LITTERATURÆ vox ipsi hoc loco significat eam mentis humanæ culturam, qva homo ad recte omnia intelligendum, volendum, operandum, eloquendum, disponitur, atq; ita non tantum mundanam Eruditionem ac Sapientiam, verum & divinum mentis humanæ cultum & habitum, qvo illa, naturali corruptione magis magis exutâ ac depositâ, redditur sana, luminosa, polita, ordinata,

bea-

beata & ad primarium scopum suum subinde habilior, complectitur. Hujus *Litteraturae* studio quantum inclarerit LIPSIA, in propatulo est & omnium sermone celebratur. MERCATURA insigne Providentiae divinae beneficium est, quæ populosissimæ redduntur urbes, quæq; quæ incolis alicuius regionis superflua sunt, exportantur, & quæ ipsis necessaria, aliunde ad usum quotidianum adducuntur. Hinc circa Rem Mercatoriam rite exercendam quid singulis ejusdem cultoribus sit observandum, fusè lateq; tradunt Scripta Juris Antistitutum aliorumq; Virorum doctissimorum, in primis *Carpzovii*, *Brunnemannii*, *Corbmanni*, *Zigleri*, *Mervii*, *Marqvardi*, *Sruvii*, *Stryckii*, *Strachæ*, *Scaccia*, *Styppmanni*, *Ansaldi*, *Fritshii*, *Coppelii*, *Medici*, *Borcholdi*, *Valleroni*, *Hunnii*, *Lynckeri*, *Menochii*, *Poppii*, *Goddæi*, *Rebuffi*, *Donelli*, *Molinæi*, *Borcholdi*, *Richteri*, *Schraderi*, *Mantica*, *Farinacii*, *Richardi*, *Bredrodi*, *Matthæi*, *Goddæi*, *Manzii*, *Tabori*, *Rodriguez*, *Manzii*, *Hortensii*, *Merlini*, *Bachavii*, *Negusantii*, *Manzii*, *Franckenii*, *Heringii*, *Marpergeri*, & aliorum. Atque *Mercatura* studio inter plurimas Germaniae urbes excellere *Lipsiam*, Soli meridiano fœnerari velle lumen visiderer, si id operosius demonstratum irem. DECORUM quid sit, Moralistarum paßim tradunt libelli, in primis eam doctrinam exquisitissima disputatione an. 1695. Lipsiæ eruditè excusit celeberrimus Dn. D. Joh. Burchardus MENCKENIUS, *Lipsiensis* Histor. P. P. Consiliarius & Historiographus Reg. & Elect. Sax. it. Societatis Reg. Brittan. Socius, Filii mei natu maximi jam Lipsiæ viventis. Hospes & Patronus benignissimus, cuius Favori & Patrocinio Natum huncce meum omni mentis contentione commendatum cupio, me pro virili gratum semper probaturus. *Decorum* illius laudabile studium *Lipsia* quantum seetur, etiam Exteri norunt, summisque efferunt laudibus, quos inter supra nominatus Bucellinus ita commendat: insignis civium (*Lipsiensium*) civilitas & honestas, & disciplina Studiosorum laudatissima.

Tria itaque haec sunt *LIPSIENSIA* cimelia, quæ valedictoria sua prosequi conabitur noster *Jöcherus*, amore in patriam urbem, quo flagrat laudabili, inductus, Natus enim est Lipsiæ honestissimis Parentibus, Patre nimis, Dn. Joh. Christoporpho JOECHERO, Cive & Mercatore integerrimo, Matre, Dn. Margaretha ETTMÜLLERA, Nepte magni illius olim Lipsiensem Æsculapii, Dn. D. Michaeli Etzmüller, Med. P. P. scriptis eruditissimis etiam post fata celeberrimi, cuius b. defuncti viduam, Dn. Margareham Bosam, Aviam nostri Jöcheri, in matrimonium duxit, Dn. D. Leonhardus Baudisius JCrus Prætor & Senator Lipsiensis atque Schola Thomanæ Präpositus, quem Noster prima Adolescensia sua formatorem habuit vere paternum, atque idcirco non sine summo dolore an. 1709. amisit; quam tamen jacturam plenè refartam lætatur per Dn. D. Mich. Erneſti Etzmüllerum, Med. Prof. P. extraordinarium, A. vanculum suum Parentis loco venerandum, quem ut hæc tenus curriculi Scholastici sui Directorem solertissimum habuit, ita nunc vitæ & sortis academicæ optimum agnoget Formatorem Duceamusque. Atque hi sunt, quibus ortum suum & primæ educationis beneficia debet *Jöcherus*. E domestica Schola in Gymnasium, quod Geræ floret, missus, Dn. M. Georg. Ludov. Goldnerum illustris illius Ruthenæ Rectorum naetus est Preceptorem & hospitem, cuius amorem, fidem & informandi dexteritatem quantum prædicet ipse, dicere hic satis non possum; hinc ut gratæ mentis, quæ semper hunc prosequi virum constituit, documentum aliquod publicè exponerem, multis à me petui. Nec minus honorificè nominari vult Dn. M. Wolfium, ejusdem Gymnasii Conrectorem, sic ut vel ex eo nostri *Jöcheri* pietatem in Benefactores & optimam indolem satis cognoscere potuerim; cum rari sint Juvenes, qui, quando novos nascuntur Preceptores, veterum non deponunt ingratæ memoriam. Neque

ci-



citra læsionem conscientia horum **oblivisci** Præceptorum potest hic Adolescens, cum in eorum Scholâ bonis artibus, imprimis pietate & latinitatis notitia per integrum biennium dextrè & fideliter fuerit imbutus. Gerâ Zittaviam venit an. 1710. una cum fratre *Ernesto Vilhelmo*, qui Mercaturâ destinatus post acquisitas huic vita generi necessarias litteras an. 1711. domum reverlus est. Ipse vero divino servitio consecratus hic studiis se ita involvebat, ut nihil relinquere intactum, quod ad sacram hunc scopum pertinere intelligebat. Ingenium enim habet, non modo in ea, qua in Eruditionis complexu sublimis & multis aliis mentibus impervia sunt, facile penetrando satis idoneum, verum &, qua summa Studiosorum virtus est, proclivitate ad quæque discenda, & labores patienter superandos naturali prædictum. Hinc non modo in publica nostra & mea privata atque pravitissima informatione suo semper ingenio egit digna, verum & in cæterorum Præceptorum Collegiis suo numquam defuit officio. In discendit Orientalibus linguis & quidem in *Græca* fundamen-tis, Dn. M. *Ziegler*, Cantore, in altioribus ejus nec non in *Ebraica*, *Chaldaica*, *Syriaca*, *Samaritana*, Dn. M. *Miro ConRectore* usus est Præceptoribus. In Logicis, dispu-tatoriis alijsque exercitiis manuductorem privatum habuit Dn. M. *Pischmannum* Col-legam Gymnasi Tertium; prætereaque Lingua Gallicæ sectatus est scientiam, quam *Nostris* satis fideliter dat *Mon. Raymond Roffal*, *Maitre de Langues*. Cæterum laudandus est ob domesticam industrias & studia solitaria: quicquid enim in schola ex Præceptoribus intellexerat, domi tentandum esse Bonæ Menti, Noſter hic non reliquit intentatum. Inde plura & majora tentaminum domesticorum obtulit nobis speci-mina, quam expectavimus, quamque ab ipso desiderare potuimus. Et cum nove-rit, tantum aliquem valere eruditio[n]e & vita, quantum lingua I. eloquentiā; multum industria posuit in excolendo Oratoria studio, inque speciminiis proprio Marte & auctu elaborandis, quorum non pauca publice memoriter habuit, & quidem (1) *Panegyricum germ.* in Natali Imperatoris Josephi, an. 1710. (2) *Panegyricum Lat.* de glorio-fissimo Christi in Feste Paschatis Triumpho. (3) *Orationem Lat.* de Nominibus quorundam Principi-pum fatalibus, cum primis de fatis nominis CAROLI; (4) *Orat. Syriacam* de Pietate Politici; (5) *Germanicam ligatam* in Elecionem CAROLI VI. Imp. (6) *Gallicam* de præcipuis impedimentis Studiorum Scholasticorum: reliqua silentio præteribo. Et cum in Scholis non Lingua modo & Di-Sciplina Instrumentales sine includantur Juvenibus, verum & ipsi Prægustus quidam Disciplinarum reali-um sit propinandus, fine quo etiam Humaniora vix ac ne vix quidem commode possint tractari: Noſter & in privata mea Informatione conpectum præcipuarum scientiarum generali sibi conquisivit, & domi proprio motu plurima Disciplinarum vireta ameno ambitu & citato gradu percurrit. Præterea etiam vi-di, JOECHERO nostro esse non minus discendi felicitatem & desiderium, quam *Donum communicandi*, vel Facultatem alios informandi per quam laudabilem. Et cum illud Talentum, quod quidem Natura sug-gerit, exercitatione sic perficiendu[m]; Noſter suaſi meo modo hunc modò illum è Commilitonibus sibi sumis informandum, atque ita omnem rem in animo volutam per voces ad captum Discentium accommodare & exprimere didicit. Cæterum & à me publice prædicari vult Beneficia, qua Zittavia accepit à venerando suo Hospite, Dn. M. *Martino Grünwald*/Concionatore pomeridianō benē merito; is Beneficentia Boſiane, qua olim Lipsiæ fruitus est, probè memor, hunc Convictorem suum paternè amavit & curavit, prater corporis viuum mentis pubulum quotidie largiendo per domesticam institutionem & incitamentum ad Studia sacra validissimum. Grataque semper se tuiturum promittit noſter Abiuriens singularem Benevolentiam filialiter colendi Propatru sui, Dn. Job. Jac. ETTMULLER, J. U. Lic. & Judicij Assessoris gravissimi, quam Is testatus est in quacunque re consilia & operi impertiendo, affectu ve-re paterno. Atque haec sunt, qua è Juvenis hujus curriculo scholastico referre volui. Feci hoc, non ut laudibus infletur Ipsius animus, sed ut potius Beneficia Dei & Benevolentiam hominum gratius agnoscat, & ad laudabiliter copta constanter prosequenda incitetur.

Quod reliquum est, tres bona mentis *Juvenes* amicitia lege moniti, publice gratulabuntur JOECHERO suo iter Academicum, ita quidem, ut, quemadmodum hic tria LIPSIENSIA STUDIA sua valedictoria proprio marte elaborata, prædicavit, ipsi triplici Bona celeberrimæ Lipsiensium Civitati simul appre-citur, & quidem *Elegiæ*.

- (1) *Germanicā*, *Mep̄tis* Bona, Gottlieb SUTORIUS, *Alzenay. Sil.*
- (2) *Latinā*, *Corporis* Bona, Daniel Christoph Schede/ *Landsberg*.
- (3) *Græca*, *Fortuna* Bona, Joh. Gottob Weber/ *Zittaviens*.

Honorificum PATRONORUM & FAUTORUM Accessum benignamque auscultationem non est cur multis efflagitem, cum, quo amore & studio in LIPSIAM ZITTAVIA ducatur, probè neverim. Servet elementissimum Deus utramque Civitatem omnium Bonorum affluentia constanter exhilaret. V. Scrib. è Gymn, Zittav. d. XXX, Mart, An. MDCCXII.

Ye  
5257

Q. D. B. V.  
OMNES  
**PATRONOS, FAUTORES,  
AMICOS**  
*Gymnasii Zittaviensis*  
ad  
**ORATIONEM VALEDICTORIAM,**  
qva  
de  
TRIPLICI  
**LIPSIENSIMUM**  
GULARI STUDIO  
**NATURÆ, MER-  
URÆ, DECORI,**  
indolis & magnæ Expectationis  
**ANUS Bottlieb Föcher /**  
LIPSIENSIS,  
in  
**ACADEMIAM**  
e  
**GYMNASIO**

B. c. D. abiturus,  
XXII. d. XXXI. Mart: hor. IIIX.

differere constituit,  
benignè audiendam

in amorem atq; studium,

qvo

**SIAM ZITTAVIA**

complectitur  
officiose & per amanter  
invitat

odofredus Hoffmannus,  
Gymn. Zittav. Rector.

VIAE, Typis Michaëlis Hartmanni.



		Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black	B.I.G.
1	2										
3	4										
5	6										
7	8										
9	10										
11	12										
13	14										
15	16										
17	18										
19	20										
Centimetres	Inches										